

HISTORIA DIPLOMATICA
FRIDERICI SECUNDI

SIVE

CONSTITUTIONES, PRIVILEGIA, MANDATA, INSTRUMENTA QUÆ SUPERSUNT
ISTIUS IMPERATORIS ET FILIORUM EJUS.

ACCEDUNT EPISTOLAE PAPARUM ET DOCUMENTA VARIA.

COLLEGIT, AD FIDEM CHARTARUM ET CODICUM RECENSUIT, JUXTA SERIEM ANNORUM DISPOSUIT
ET NOTIS ILLUSTRAVIT

J.-L.-A. HUILLARD-BRÉHOLLES.

AUSPICIIS ET SUMPTIBUS

H. DE ALBERTIS DE LUYNES,

UNICUS EX ACADEMIAE INSCRIPTIONUM SOCIIS.

TOMUS I.

PARS I.



PARISIIS

EXCUDEBANT PLON FRATRES,

36, VIA DICTA VAUGIRARD.

MDCCCLII. ω

151

unam auri et sex salmas inter frumentum et ordeum, quas domus militie Templi que est in Aydone curie nostre de possessionibus quas in ipsa terra nostra Aydone possidet, annuatim solvere tenebatur. Statuentes et presentis privilegii auctoritate mandantes ut nullus de cetero eandem domum militie Templi que est in Aydone [de] predicta uncia, frumento et ordeo requirere vel molestare presumat. Ad hujus autem remissionis et relaxationis nostre memoriam et inviolabile firmamentum, presens privilegium per manus Nicolai notarii scribi et majestatis nostre sigillo precepimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Data Aydone, anno dominice incarnationis millesimo ducesimo decimo, mense octobris, quaterdecime indictionis, regni vero domini nostri Friderici Dei gratia gloriosi regis Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue anno tertio decimo, feliciter. Amen.

Calatagironi,
octobri.

Fridericus rex Sicilie, ad supplicationem Roberti prioris Sanctae Mariae de Aydone, huic ecclesiae varia casalia confirmat, eique relaxat octo salmas frumenti et totidem hordei quas doanae suae exsolvere consueverat.

(Edidit DE GROSSIS, *Catanens. dechachordi*, chord. II, mod. III, p. 53, ap. GRAEVIVM, *Thes. antiq. Sicil.*, tom. X.)

Fridericus divina favente clementia rex Sicilie, ducatus Apulie ac principatus Capue. Gratum Creatori nostro munus offerimus, quoties sacrosanctis ecclesiis ac personis venerabilibus mentis nostre aciem vertimus et ipsorum necessitatibus curamus pietatis studio subvenire. Hac igitur consideratione humanitatis inducti et spe retributionis perpetue provocati, pro remedio animarum divorum augustorum parentum nostrorum felicitatis memorie necnon pro salute nostra, ad supplicationes quoque Roberti prioris Sancte Marie de Aydone fidelis nostri, de gratia et consueta munificentia nostra, libere et sine aliqua datione in perpetuum donamus,

concedimus et presenti privilegio confirmamus ecclesie Sancte Marie de Aydone que subdita est matri sue Catanensi ecclesie, quoddam casale videlicet Rahalbasil, quod est situm in tenimento Castri Joannis inter casale Fesine et casale Castine cum omnibus justis tenimentis et pertinentiis suis. Relaxamus etiam eidem ecclesie salmas frumenti octo et hordei octo quas pro quodam molendino quod de concessione predecessorum nostrorum ipsa ecclesia in tenimento Aydonis de propriis expensis suis construxit, dohane nostre annuatim exsolvere consuevit. Confirmantes ut memorata ecclesia omnia jura, libertates, possessiones, vineas, terras, turres, domos, molendinum ipsum cum aliquantula terra vacua ipsi adjacente, et quecumque juste possidet in perpetuum teneat et libere sine datione aliqua possideat. Mandamus etiam et presentis privilegii auctoritate sancimus ut nulla de cetero persona ecclesiam ipsam de supradictis omnibus molestare vel impedire presumat. Ad hujus autem nostre donationis, concessionis et confirmationis memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium per manus Boni Joannis (a) de Gaeta notarii et fidelis nostri scribi et majestatis nostre sigillo precepimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum Calatagironi, anno dominice incarnationis MCCX, mense octobris, XIV indictionis, regni vero domini nostri Friderici Dei gratia gloriosissimi regis Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue anno XIII, feliciter. Amen.

Innocentius papa [Ottonem] excommunicat et ecclesiam Capuanam sub interdicto ponit, pro eo quod celebrare ausi sunt ipso praesente; excommunicat etiam omnes fautores ipsius in octavis Sancti Martini (1). RICC. DE S. GERMANO, *Chronic. ad ann. 1210*, 18 novemb:is.

(a) Verisimiliter autem *Bonihominis*.

(1) Tunc vero potius, ut arbitratur Boehmerus, excommunicationis quasi praeludium, quum